

vissima, statim cap. 26 et 27, exempla produxit optima aliorum, qui propter peccata usque adeò levia, ut vix in illis maculam venialem agnoscas, gravibus tamen tam à dæmone, quam à dolorum aceritate et fœditate morborum affecti sunt incommodis, quibus occisi à leone prophetæ exemplum annumeratur. Lege utrumque caput, et disces quam non sint contemnenda illa quæ homines levia esse putant, venialia, quando Deus illa, cum tamen id agat misericorditer, tantà severitate castiget.

Hic etiam explorare libet, an hic propheta cum corporali ac temporariâ, spiritualem etiam et æternam mortem subierit. Quod si venialis illa culpa fuit, quod maximè putabamus esse probabile, non est dubitationi locus; sin autem lethalem ex eo facto maculam contraxit; tamen cum admonitus jam esset à prophetâ sene, et mortem jam impendere proximè suspici posset, credibile est agnoscere culpam, et de violato mandato divino salutarem concepisse dolorem. Quo modo idcumque contigerit, quærimus, an gratus Domino, id est, liber à mortali culpâ à vivis excesserit. Nemo, quem ego viderim, damnatum esse affirmat; eternam obtinuisse salutem Gregorius asserit lib. 4 Dialog. cap. 24. Et ex ipso in Glossâ Rabanus, Angelomus, Eucherius, qui dicunt peccati inobedientiam poenas dedisse occisum prophetam à leone, neque aliquid præterea ex ea culpâ purgandum reliquise. Sic autem eo loco Gregorius: « Vir Dei contra Samariam missus, qui per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere occidit. Sed statim illuc scriptum est, quia stetit leo juxta asinum, et non comedit leo de cadavere. Ex qua ostenditur, quod peccatum inobedientiae in ipsâ fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit, quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat jam justus ex morte. Leo ergo, qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi. » Hæc Gregorius, quo argumento etiam adducitur Theodoretus q. 42, et Cassianus collat. 7, de qua nuper.

Accedit quod lib. 4 Regum cap. 23, in sepulcro hujus prophetæ aliqua multis post seculis inventa sunt signa, quæ eximiam illius viri sanctitatem ostenderent, quæ fecerunt, ut Josias cum sepulcrâ omnia quæ erant in Bethel, disjiceret vellet, et quæ in illis essent ossa,

combure, hujus tamen sepulcro pepercit, quia in eo aliquid vidit eximum, cuius rationem habendum esse duxit. Illud ergo existimo fuisse titulum seu monumentum, ut ex illo loco 4 Regum constat, quod posuit senex ille propheta, qui sibi cum prophetâ alio commune sepulcrum esse voluit. Neque illi male cessit consilium illud, quo id consecutus est, ne ossa sua effoderentur à tumulo, et sicut alia omnia per ludibrium et dedecus in vitulorum altari solverentur in cineres. Sed Hebrei, quorum unus est Rabbi Salomon illius cogitationis auctor et princeps, affirmant, sed planè Rabbinicâ fide, in eo tumulo, in quo duo prophetarum corpora jacuerant, res apparuisse longè diversas, quæ duorum prophetarum merita diversa et conditionem dissimilem ostenderent. In eo enim sepulcri, seu speluncæ latere (nam speluncæ formam habent Hebreorum sepulcra, maximè illa in quibus potentiorum hominum cadavera conduntur) ubi prophetæ scelerati et sensi jacebant ossa, spinæ nascebantur, et foetentes herbae: atverò, ubi alterius ossa condebandur, herbæ germinaverant pulchræ, suaviter olentes, quibus nimis è sacris ossibus suavis quidam et sacer odor adhæserat.

Addo ad extrellum quod de hoc prophetâ, quem leo extinxit, scribit Chrysostomus in psalmo 3; obscurius tamen ibi videtur agere atque confusius, dum duorum prophetarum opera in uno videtur prophetâ conjungere. « Quemadmodum, inquit, canis aut quælibet fera, quam homo beneficiis cicuravit, sibi que in omnibus obsequenter reddidit, si vultum simulet alienum, aut proprium mutet et obsecuret, fuligine puta, aut cœno, aut colore non proprio, non minus illum allatrat, morsuque appetit domesticus canis, aut laccerat mansuetus leo, quam si esset alienus; sic, inquit Chrysostomus, quia propheta iste per inobedientiam vultum fuligine fecaverat, non agnovit leo tanquam dominum suum, atque ideo tanquam alienum interfecit. Longè aliter, inquit, sese leones habuere cum Daniele, cum tamen essent in lacu famelici, quia in eo talem invenerunt speciem et vultum, qualem venerari et osculari jussi sunt; neque enim mutaverat aut fœdaverat faciem fuligine peccati, sicut hic propheta, qui vultui prius puro ac candido inobedientia stercus aut cœnum aspersit. » Porrò veniale peccatum sicut cœnum esse aut fuliginem, quibus facies deturpatur et horret, docet S. Thom. 3 p. quæst. 8, art. 2, ad 3.

VERS. 28. — NON COMEDIT LEO DE CADAVERE, NEQUE LASIT ASINUM. Si, quod dixit Gregorius supra, inobedientiae peccatum morte laxatum atque purgatum est, quid impedit hoc loco meditari cadaveri restitutam esse speciem et colorem quem inobedientiae prius fuligo fusceverat, atque adeò illius cadaver leo attingere non est ausus, quem vivum extinxerat. Ex hoc apparet non casu leonem occurrisse, sed immisum à Deo, quandoquidem abstinuit à prædâ, neque famem prophetæ aut asini carnibus exaturare permisus est. Mansit igitur juxta cadaver leo, non tanquam prædator ut laceraret, sed tanquam custos, ut servaret integrum sepulturæ, neque nocuit asino, ut esset qui mortuum referret illum quem ad illum locum vivum adduxerat. (1)

VERS. 30. — ET PLANXERUNT EUM: HEU, HEU, MI FRATER! In planetu exequiarum significatur honor, qui spectari solet in feralibus facibus, et atrâ veste, licet gemitus audiatur nullus, aut nullæ oboriantur lacrymæ, ut diximus in nostris Commentariis ad illud Actuum c. 8: Curaverunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. Vide eā de re Hieronymum

(1) VERS. 29. — TULIT ERGO PROPHETES CADAVER VIRI DEI, ut honorificè sepeliret et de more plangeret, præsertim, quia ipse necis ejus per mendacium fuerat causa. Unde ex sequentibus liquet, prophetam hunc fuisse fidem et piūm, qui per præpostoram hospitalitatem seduxerat prophetam. Quare Josephus l. 8 Antiq. c. 3, valde à narratione S. Scripturæ discrepat et aberrat, dum ait quod pseudopropheta hic regem Jeroboam minis et miracula prophetæ apud eum elevavit et confutari. « Aiebat enim, inquit Josephus, præ lassitudine manum ejus obtorpuisse, dum altari inferret victimas, ac deinde post quietem, vigorem pristinum receperisse. Altare quoque recentis etiam tum structuræ, quod tot ac tantarum victimarum molens non ferret, disruptum concidisse. Postremò vatis mortem indicat, à leone esse necatum; adeò nihil divinum, nec in vita, nec in verbis ejus fuisse. His dictis regi persuasit, et mentem ejus à Deo et justis ac piis operibus in totum aversam, in extremam impietatem præcipitavit. In tantum enim posthac contra omne ius ac fas debacchatus est, ut nihil aliud quæreret quam quomodo in dies magis ac magis semetippe novis sceleribus superaret. » Verum hæc à narratione S. Scrip. in seq. aliena sunt et quasi contraria.

ET REVERSUM INTULIT IN CIVITATEM PROPHETÆ SENIS, id est, in civitatem suam, puta in Bethel, ut patet v. 32; ipse enim erat propheta senex, qui eum suo mendacio seduxerat, ideoque eum à leone occisum sepelivit et planxit. (Corn. à Lap.)

ep. 23 ad Paulam. Erat porrò familiaris apud Hebreos lugendi forma: *Heu, heu, mi frater!* et aliae similes, ut: *Væ frater, et vœ soror, vœ inclyte, et vœ Domine.* De quibus nos pluribus super Jeremiam, ad illud c. 22, v. 18: *Non plangent eum, vœ frater, et vœ soror, non concrepabunt ei, vœ Domine, et vœ inclyte.* Et cap. 34, ad illud v. 5: *Væ Domine, plangent te. Quæ loca omnino vide.*

VERS. 31. — SEPELITE ME IN SEPULCRO, IN QUO VIR DEI SEPULTUS EST (1). Quo id consilio fecerit senex ille et veterator propheta, ostensum est nuper, nempe ne ossa sua simul cum impiorum ossibus extraherentur è tumulo, et abirent in cineres; quod propheta alius sanctus prædixerat, de cuius propheticâ fide et eventu futuro non dubitavit. Et sanè quod destinarat animo, consecutus est: ut enim prophetæ sancti ossa loco mota non sunt, sic etiam nec alia quæ in eundem tumulum cum illis illata sunt. Tumulum autem illustrem esse arbitror, quando post tot secula integrum et notum fuit. Cum enim homo esset locuples, et potens senex ille propheta, utpote familiaris Jeroboamo et magno apud illum loco, et sibi vellet cum alio prophetâ communem esse tumulum, haud dubie curavit ut in illo præter cetera aliquid appareret eximum. (2)

(1) *Quand je serai mort, ensevelissez-moi dans le même sépulcre où repose l'homme de Dieu, etc.* Le dessein qu'eut ce vieux prophète, lorsqu'il prit le soin d'ensevelir honorablement le corps de celui qu'il avait trompé, et qu'il donna ordre qu'on l'enterre lui-même auprès de ce corps, était, comme le remarque saint Augustin, l'espérance qu'il avait que l'on pourrait épargner ses os, lorsque le temps serait arrivé, selon la prédiction de l'homme de Dieu, que Josias, roi de Juda, déterrerait les os des morts, et les brûlerait sur les autels consacrés aux idoles. C'est aussi ce que l'on vit arriver plus de trois cents ans après, lorsque ce prince défendit que l'on touchât au sépulcre où le serviteur de Dieu, qui avait prédit ces choses si long temps auparavant, était enterré. Ce qui fut cause qu'on ne toucha point non plus aux os de celui qui l'avait trompé. Ainsi, dit saint Augustin, ce vieux prophète, par un sentiment très-naturel, qui fait que *nul homme n'a jamais hâ sa chatr*, eut soin de pourvoir à la sûreté de son corps après sa mort, lui qui n'avait pas appréhendé de tuer son âme par le mensonge durant qu'il vivait. *Affectu illo quo nemo unquam carnem suam odio habuit, providerat cadaveri suo, qui occiderat mendacio animam suam.* (Sacy.)

(2) VERS. 32. — CONTRA OMNIA FANA EXCELSORUM, QUÆ IN URBIBUS SAMARIAE. Qui id fieri potuit, cum Samaria nondum staret, neque adhuc regnum decem tribuum regni Samariae nomen accepisset? De rebus agit sacer historicus pro statu ætatis sue. Non ignorabat uti-

VERS. 33. — POST VERBA HAC NON EST AVER-SUS JEROBOAM DE VIA SUA PESSIMA (1). Satis hec videbantur gravia, ut Jeroboam à priori consilio atque perfidiā dederent; sed sanè ea est apud malè institutos aut constitutos animos ambitionis potentia, ut prosternat omnia, et rebus naturā fortissimis fortitudinem adimat. Pugnabat in Jeroboami animo regnandi libido cum Dei minaci vaticinio, cum metu mortis, cum aliis denique, quæ natura hominis horret et damnat: at sicut illa telum esset futile et plumbeum, neque graviores petitiones habent, quæ inanes stipulae, sic ab ambitionis injustâ potentia superata sunt. Quomodò quidam putaverint, neque fortasse malè, titubantem Jeroboami animum à malo hoc prophétâ propter privata commoda in suâ perfidiâ con-

que, Samariam ab Amri conditam fuisse, quinquaginta annis post Jeroboamum, cùm ejus urbis conditum ipse litteris mandaverit; se tamen ad captum præsentium lectorum accommodavit. Eodem fortè consilio scribit, ariolum è Bethel venisse de Samariâ, quanquam nulla adhuc hujus nominis erat urbs, saltem nota et celebris. Hic igitur vel è Sichem moverat, ubi tunc agebat Jeroboam, vel contulerat se in Bethel, jussu eisdem principis, cuius deinde successores appellationem regum Samariæ adoptarunt.

(1) Après ces choses, Jéroboam ne revint point du dérèglement de sa voie toute corrompue, etc. La conduite si différente que Dieu tint sur ce roi impie et sur Addo, son prophète, mérite bien d'être un peu pesée. Ce dernier tombe dans une faute de surprise où l'engage l'imposture d'un autre prophète. Et Dieu l'en punit aussitôt après, en lui envoyant un lion qui le tue dans le chemin. Le premier, au contraire, commet volontairement, et *après y avoir beaucoup pensé*, le plus grand de tous les crimes, en établissant l'idolâtrie dans le milieu d'Israël, parle principé d'un pur intérêt, et dans une vue toute politique. Et Dieu ne se hâte point de le punir, le laissant mourir en apparence du fruit de son impiété. Il échappe ainsi assez ordinairement dès ici-bas par des peines temporelles les fautes de ses serviteurs, et il semble pardonner en cette vie aux plus grands pécheurs, purifiant les uns par ces châtiments passagers, pour les rendre dignes de son héritage, et n'épargnant pour un temps les autres, qu'afin de les réserver à des peines infinies, comme des victimes, dit un ancien, que l'on engrasse pour être immolées éternellement à sa justice. Qu'heureuses donc sont ces salutaires corrections de la main miséricordieuse du Seigneur, qui n'assure jamais davantage, dit saint Grégoire, le salut de ses élus, que lorsqu'il semble les abandonner en les frappant! *Unumquemque electum suum tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiens deserit.* Mais que terrible, au contraire, est cette indulgence apparente d'un Dieu irrité, qui n'épargne les impies durant quelque temps, que pour les punir éternellement!

(Sacy.)

firmatum, diximus paulò ante, et notavit aperte Josephus lib. 8, c. 5. Cùm enim longam orationem apud regem habitam retulisset, et quomodò nugator esset potius quæ propheta ille, quem magni alienus sceleris reum occidisset leo, tandem addit: « His dictis, regi persuasit, et mentem ejus à Deo, et justis ac piis operibus in totum aversam in extremam impietatem præcipitavit. »

QUICUMQUE VOLEBAT IMPLEBAT MANUM SUAM ET FIEBAT SACERDOS EXCELSORUM. Tam longè aberat Jeroboamus, ut ad meliorem mentem et frugem rediret, ut magis se ad omnem impietatem projiceret. Quare ex novissimis, id est, ex plebis fæcē sacerdotes excelsorum constituit: imò et permisit, ut quicunque vellet, sacerdos fieret; neque opus erat, ut aliis initiatus fieret sacerdos, sed suā quisque auctoritate ad sacram illud, imò et immane ac execrandum ministerium reddebat idoneus, quisque sibi suam manum implebat, neque ab alio expectabat legitimam sacrificandi potestatem.

Quid sit, *implere manum*, et quomodò significet consecrare aliquem, et idoneum facere sacerdotali atque sacrificiali ministerio, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem susè, ad illud c. 43, v. 26: *Et implebunt manum*, etc. Qui dicendi modus in Scripturâ sacra frequens est, ut ibi ostendimus. Exod. 28, v. 41, et c. 29, v. 9, et v. 35, ubi Vulgatus legit, *initiare*, aut, *consecrare manus*, Hebr. est *mate iad*, id est, implere manum, neque ab Hebraico idiomate abstinuit Vulgatus. Nam Iudic. 17, v. 5, et v. 12, hæc eadem verba ad significandam consecrationem adhibuit. Et clariū Ezechias lib. 2 Par. c. 29, v. 31, ubi sic ad sacerdotes: *Impléstis manus vestras*; *Dominino accedite, et offerte victimas*. Quæ dicendi forma etiam rebus accommodatur inanimatis, quæ ad divinum cultum consecrantur, ut de altari consecrato dixit Ezechiel loco proximè citato. Ratio nominis obscura est. Cajetanus in c. 17 Jud. ignorare se dicit: duas tamen invenit ex sacerdotum consecratione et ministratio desumptas. Altera est, quia in consecratione manus illinuntur oleo; altera, quia manu capiunt aut victimas, aut libamenta; utroque modo manus plenævidentur dici posse. Idem Abulensis q. 41. Ego aliam rationem putabam non ineptam, cùm viderem, quæ perfectæ sunt, appellari interdùm plena, idque non infrequenter, quia consecratæ manus perfectæ sunt novo dignitatis auctoramento, idèo in consecratione impletas manus appellari pu-

tabam. Plura de hac re in nostris Commentariis in Ezechielem, quæ tu vide. (1)

(1) VERS. 34. — ET PROPTER HANC CAUSAM PEC-CAVIT DOMUS JEROBOAM, peccatum grande idololatriæ, quia scilicet vitulos aureos erexit, ad eosque adorandos compulit totum populum, ET (idcirco) EVERSA EST ET DELETA DE SUPERFICIE TERRE, quasi de terrâ funditus abrasa, ut nemo ex eâ remaneret superstes, uti patet cap. seq. vers. 10.

Nota hinc veram causam interitus et excidii

CAPUT XIV.

1. In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam.

2. Dixitque Jeroboam uxori suæ: Surge, et commuta habitum ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam; et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi quod regnaturus essem super populum hunc.

3. Tolle quoque in manu tuâ decem panes et crustulam et vas mellis, et vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit pueru huic.

4. Fecit ut dixerat uxor Jeroboam, et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahias. At ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute.

5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat; hæc et hæc loqueris ei. Cùm ergo illa intraret et dissimularet se esse quæ erat,

6. Audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, et ait: Ingredere, uxor Jeroboam; quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius.

7. Vade, et dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel.

8. Et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo;

9. Sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam

familiarum etiā régaliū, qualis fuit Jeroboam, esse idolatriam, hæresim et scelera cætera ex eâ consequentia, idque toto hoc libro, et quarto sequenti, per exempla omnium regum Israël, qui Jeroboam in idolatriâ vitulorum æquæ ac in regno secuti sunt, ostenditur. Ubi mira eorum cæcitas liquet, quod cùm audiret hasce Dei minas, ac reipsa eas in Jeroboam cæterisque antecessoribus suis impleri viderent, ipsi tamen quasi dementati, eorum idolatriam secuti sint, idèoque ipsi patiter cum suis familiis à Deo excisi sint.

(Corn. à Lap.)

CHAPITRE XIV.

1. En ce temps-là Abia, fils de Jéroboam, tomba malade;

2. Et Jéroboam dit à sa femme: Levez-vous; changez d'habits, et qu'on ne connaisse point que vous êtes femme de Jéroboam: Allez à Silo, où est le prophète Ahias, qui m'a prédit que je régnerais sur ce peuple.

3. Prenez avec vous dix pains, un tourteau, et un vase plein de miel, et allez vers lui; car il vous fera connaître ce qui doit arriver à cet enfant.

4. La femme de Jéroboam fit ce qu'il lui avait dit. Elle s'en alla à Silo, et vint en la maison d'Ahias, qui ne pouvait plus voir, parce que ses yeux s'étaient obscurcis à cause de son grand âge.

5. Le Seigneur dit donc à Ahias: Voici la femme de Jéroboam qui vient vous consulter sur son fils qui est malade; vous lui direz telle et telle chose. Comme la femme de Jéroboam entrait et dissimulait qui elle était,

6. Ahias, à son arrivée, entendit le bruit qu'elle fit en marchant, et il lui dit: Entrez, femme de Jéroboam; pourquoi feignez-vous d'être une autre que vous n'êtes? Je dois vous annoncer une mauvaise nouvelle.

7. Allez, et dites à Jéroboam: Voici ce que dit le Seigneur Dieu d'Israël: Je vous ai élevé du milieu des Israélites, et je vous ai établi chef de mon peuple d'Israël;

8. J'ai divisé le royaume de la maison de David, et vous l'ai donné; et vous n'avez point été comme mon serviteur David, qui a gardé mes commandements, et qui m'a suivi de tout son cœur en faisant ce qui m'était agréable;

9. Mais vous avez commis plus de mal que tous ceux qui ont été avant vous, et vous vous êtes fait des dieux étrangers et jetés en fonte pour irriter ma colère, et vous m'avez rejeté derrière vous.